

ARTICULUS VI

Utrum Ecclesia sit supremus Judex Controversiarum Fidei.

Necessitatem alicujus supremi & infallibilis Judicis in rebus fidei, cui omnes morem gerere teneantur, probant ipse controversie, quæ de ipsis rebus fidei emergunt. Res namque fidei sunt abstractæ, sublimes, occultæ; non omnes sunt capaces examinis & discussionis rerum tam sublimium & invidentium. Unde, si non sit aliquis supremus Judex, cujus auctoritate infallibili contineantur homines, nihil erit fixum in Religione, erimus perpetuo fluctuantes omni vento doctrinæ abrepti, disputationes erunt interminabiles, & dum unusquisque in suo sensu abundavit, tot erunt dogmata, quot capita. Inter Hæreticos quidam pro summo Judice assignant ipsam Scripturam sacram, quam volunt esse claram & apertam. Alii assignant aflatum Sp. S. unicuique privato, seu ipsam Scripturam, secundum hunc privatum spiritum intellectam. Alii, ut Brenius, Principes sæculares. Nos non negamus, Scripturam, sacram esse Regulam, normam & legem, juxta quam discernendæ sunt controversiæ; sed cum hæc Regula sit mortua, & sæpe circa illam oriatur difficultates, ipsa dirimere non potest, requiritur ulterius aliqua Regula viva, seu potius Judex, qui supremo & infallibili judicio definiat, quid hæc regula mortua ferat & contineat. Sicut in humanis Lex est Regula & norma, juxta quam debent lites dirimi: at insuper necessarius est Judex, qui auditis partibus pronuntiet, qua parte stet Lex, & cujus sententia parere teneantur litigantes.

Supposita Ecclesie infallibilitate in rebus fidei definiendis, asserta Art. præced. sequitur, eam esse hunc supremum Judicem controversiarum fidei; idque non jam non semel probavimus, 1. in Tract. præc. Diss. 1. a. 2. ubi ostendimus, Regulam discernendi revelata non esse Scripturam, neque spiritum privatum, sed Ecclesiam. 2. In presenti Tract. Diss. 1. a. 8. Petit. 9. ubi probavimus, quod judicare de sensu Scripturæ non sit ipsius Scripturæ, neque spiritus privati, sed Ecclesie. Verum, quia hæc questio est summi momenti; posito enim semel, quod Ecclesia sit supremus, & infallibilis Judex controversiarum fidei, cui omnes teneantur morem gerere, convelluntur omnes hæreses & sectæ; quod cum probe intelligant Novatores, non nihil tentant, ut hanc veritatem cardinalem concutiant; Quapropter, præsuppositis istis, que jam dixi locis cit. quæ hinc revocanda sunt, questionem iterum examini subijcio, &

Dico: Supremus & infallibilis controversiarum fidei Judex non est Scriptura sacra, neque spiritus privatus, neque Princeps sæcularis, sed Ecclesia. Prob. 1. pars: 1. Scriptura sacra est obscura & intellectu difficilis, atque in diversas partes trahitur, ut probavimus Diss. 1. a. 8. Petit. 7. ergo opus est aliquo Interprete, qui ejus obscuritatem, ambiguitatem, & difficultatem tollat.

2. In Scriptura duo sunt, littera & sensus. Circa litteram plurimæ sunt controversiæ: An ea, quam habemus, sit verum Dei verbum? An sit conformis suo Autographo? An hi vel isti Libri sint Canonici, vel non? Lutherus rejicit epistolam ad Hebræos, epist. S. Jacobi, & Apocalypsim; has Calvinus admittit: quis dirimit controversiam? Non ipsa Scriptura; nulli enim dicit, hos Libros esse, vel non esse Canonicos; & quamvis diceret, non teneremur credere, nisi aliunde prius constet, esse Canonicam. Circa sensum: Scriptura in varios & contrarios sensus trahitur, de hisque sunt præcipuæ controversiæ. Inter alias celeberrima est de sensu horum verborum, Hoc est corpus meum. Calvinistæ intelligunt in sensu figurato; Lutherani & Catholici in sensu litterali: quis inter illos erit Judex? Non ipsa Scriptura, quæ est objectum & materia controversiæ: ergo querendus est alius Judex, alioquin disputabitur usque ad finem mundi. Dicit Calvinista, Lutheranum male intelligere; idem regetur Lutheranus Calvinistæ. Confirm. Judex alicujus controversiæ debet partes litigantes audire, pronuntiare sententiam, & posse partes compellere ad acquiescendum sententiæ, alias frustraneum esset judicium. Hæc autem præstare non potest Scriptura: ergo.

3. Multa sunt fide credenda, quæ non continentur in Scriptura: ipsa Canonicitas, ut ita dicam, Scripturarum, Baptismus Infantium, validitas Baptismi Hæreticorum, perpetua Virginitas B. M. V. & plura alia, quæ nobiscum admittunt Sectarii. Unde Aug. l. 5. de Bapt. contra Donat. c. 23. Sunt, inquit, multa, quæ tenet universa Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur. In his autem clarum est,

Scripturam non posse esse Judicem: ergo. Confer Diss. 1. citatam presentis Tract. art. 8. Petit. 7. & 9.

Prob. 2. pars, 1. Judex in aliqua causa debet esse publicus, partibus litigantibus notus, eas audire, ab ipsis audiri, & habere auctoritatem illas compellendi, ut stent judicio; alioquin nihil proderit; atqui ista non competunt spiritui privato cujusque, ut patet: ergo. 2. Judex in aliqua controversia debet esse unus, non varius, non incertus, non sibi contrarius; atqui spiritus privatus est varius in variis, incertus, & sæpe sibi contrarius, dictans unum uni & contrarium alteri: sic dicitur Lutherano, hos Libros esse Canonicos; dicitur Calvinistæ, non esse Canonicos: dicitur Lutherano, hæc verba, Hoc est corpus meum, esse intelligenda de presentia reali; dicitur Calvinistæ, esse intelligenda de presentia spirituali & figurata. Dicit Calvinista Lutheranum, cum non duci bono Spiritu, idem reponebat Lutheranus Calvinistæ: quis erit Judex? In æternum disputabunt, sicut jam a ducentis annis disputant. Confirm. Quæro a Lutheranis & Calvinistis, quomodo Socinianos, qui ex eis exierunt, & errant circa Trinitatem & Incarnationem, aliove Hæreticos, revincere poterunt & ab errore convertere? Non per Scripturas; nam & illi Hæretici illas admittunt, sed secundum suum privatum spiritum intellectas. At quomodo probabunt, eos male intelligere Scripturas? Dicent forte, eos non habere spiritum bonum? Verum hoc isti negabunt. Evidens est itaque, quod hoc novo commento præcludatur via conversioni Hæreticorum, & aperiat omnibus Hæresibus.

3. In omni Republica bene ordinata est Judex publicus, qui legem interpretatur, & secundum illam omnes controversias dirimit, nec permittitur cuicumque privato legem secundum suum spiritum & libitum interpretari, aliis omnia sudeque subverterentur. Id norant ipsi Hæretici. Quomodo magis ergo id debet admitti in Ecclesia, quam Christus insituit & ordinavit? Nisi velis, esse tot fidei dogmata, quot capita, eaque ut plurimum sibi contraria & tolerandas esse omnes hæreses, quo nihil est absurdius: ergo.

4. Non omnes sunt capaces examinare & discutere res fidei, quæ sunt obscuræ, abstractæ, & sublimes: ergo nec eas definire per suum spiritum privatum. Si dicas, id haberi ex Spiritu S. cuique privato inspirante & revelante, quid sit fidei, vel non. At contra 1. Omnes contendunt, habere hanc inspirationem & revelationem, & tamen non omnes idem sentiunt: ergo Spiritus S. contraria revelat. 2. Si unicuique in quolibet casu Spiritus S. revelet, quæ sunt fidei, omnes gaudebunt privilegio immediate revelationis, sicut Prophetæ, & Apostoli, & alii Auctores sacri. Item omnes etiam stupidissimi absque studio & labore in intelligentia Legis & Scripturæ evadent doctissimi, & Doctoribus ipsi doctiores. Aliunde hic non agitur de revelatione privata, sed de communi toti Ecclesie circa eandem & communem fidem. Confirm. Insolentissimæ præsumptionis est, quod plebejus ignarus, sartor, sutor, rusticus, muliercula prætendat, se melius intelligere Legem & Scripturam, quam præclarissima & doctissima totius orbis gentia, sive dispersa, sive in Synodis congregata: sic est autem, si privatus cujusque spiritus sit supremus Judex controversiarum fidei.

Dices. Quando Concilium Synagogæ negavit & condemnavit Christum, non fuisse insolentissimæ præsumptionis reus, sed plurimum laudandus privatus Judex, qui in judicio Synagogæ dissensisset, & Christum pro Messia agnovisset: ergo similiter nunc in controversiis fidei. Ita respondebat olim pseudo-Minister Claudius illustrissimo & doctissimo Bossuetio in colloquio privato. R. N. Conseq. Multiplex est disparitas 1. Quia non erant factæ Synagogæ promissiones infallibilitatis, sicut Christi Ecclesie. 2. Quia Synagoga, quæ ad Christum usque tantum erat duratura, tunc deliciebat, imò jam defecerat. 3. Et præcipue quia erat tunc alter supremus & visibilis Judex controversiarum in materia fidei, cui omnes obedire & adherere tenebantur, nempe ipse Christus, qui palam & omnibus fidem prædicabat, & missionem suam probabat voce & oculo delapsa coram populo, Joannis testimonio, Scripturarum, & Prophetiarum explicatione, ac innumeris & potentissimis miraculis. Non ergo ille secutus fuisset spiritum privatum, posthabito judicio infallibili supremi & visibilis Judicis, sed laudandus fuisset cum Apostolis, 72. Discipulis, & pluribus aliis, qui adhererant Christo; sicque istud exemplum non abstergit maculam insolentissimæ præsumptionis in Hæreticis, qui concedunt culibet particulari, ut definitiones totius Ecclesie possit & debeat ad examen revocare, easque reformare secundum suum pri-

privatum spiritum.

Prob. 3. pars. Nullibi in Scriptura legitur, Christum constituisse Principes sæculares controversiarum fidei; non enim illis, sed Apostolis & eorum Successoribus dixit: Euntes docete &c. aut simile. Est quidem Princeps, juxta Apost. Rom. 12. Dei Minister, non ut judicet Ecclesiam, sed ut eam defendat. Unde scribebat celebris Osius Constantio Imperatori: Nec te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus præcepta mandes; sed a nobis potius hæc discas: Tibi Deus Imperium tradidit, nobis Ecclesiasticam concedidit. Id agnovit Religiosi Imperatores, Constantinus in Concilio Nicæno apud Eusebium l. 3. de vita Constantini c. 10. Theodosius junior in Epist. ad Synodum Ephes. Basilius Imperator in 8. Synodo.

Quarta Pars sequitur ex dictis. Necessè est agnoscere Regulam vivam & Judicem supremum controversiarum fidei, ut ostendamus initio articuli; atqui is non est Scriptura sacra, non privatus spiritus, non Princeps sæcularis: ergo Ecclesia: nihil enim aliud esse assignabile. Confirm. 1. Is jure assignatur Judex supremus controversiarum, qui est infallibilis in fide definiendis; atqui talis est Ecclesia, ut probatum est Art. præc. ergo. Confirm. 2. Ex praxi Ecclesie tempore Apostolorum. Cum exorta est controversia de legalibus observandis a Gentibus conversis, non fuit terminata per solem Scripturam, neque per spiritum privatum, neque per Principem sæcularem, sed per Ecclesiam Jerosolymis congregatam: ergo.

Solvuntur Objectiones.

Ux obijciunt Hæretici contra obscuritatem Scripturæ, require Dissert. 1. hujus Tract. a. 8. Petit. 7. & 8. Quæ obijciunt pro sufficientia Scripturæ, Dissert. præc. a. 2. Obj. 2. Quantum ad id, quod obijciunt, nos committere circulum vitiosum, probando veracitatem infallibilem Ecclesie per Scripturam, & veritatem Scripturæ per Ecclesiam, plene diluuntur hæc Tract. præc. Dissert. 1. a. 2. ibi enim ostendimus, veracitatem infallibilem Ecclesie non probari primo ex Scriptura, sed ex notis & motivis credibilitatis, sicque ex illa parte nullum committitur circulum. Deinde ostendimus, quod, posita veracitate Ecclesie ex motivis credibilitatis, credamus veritatem Scripturæ, quam nobis proponit ut Regula discernens revelata; veritates autem contentas in Scriptura credamus propter Dei revelantis auctoritatem. Et quia Scriptura continet infallibilitatem Ecclesie, illam firmius credimus propter Dei veracitatem tanquam propter formale motivum fidei. Unde non est circulus formalis & vitiosus, sed materialis tantum, qui non redit ad idem sub eadem ratione: Ecclesia in ratione causæ applicantis probat veracitatem Scripturæ: Scriptura in ratione causæ formalis probat veracitatem Ecclesie. Exemplum posuimus in Ministros, qui deferunt litteras Regias. Confer locum cit. Præterea

Obj. 1. Act. 17. de Beroensibus dicitur: Susceperunt verbum cum omni aviditate (a Paulo) quotidie scrutantes Scripturas; si hæc ita se haberent. Joann. 5. Christus dicit Judæis: Scrutamini Scripturas... illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me: ergo omnia dogmata ad unum Scripturæ normam debent expendi. R. N. Cons. Ad 1. Cum Beroenses audivissent Paulum annuntiantem Mortem & Resurrectionem Christi ex testimoniis veteris Testamenti, illud scrutabantur, non quasi dubitantes de fide, quam miraculis probaverat Paulus, Nam cum omni aviditate susceperunt verbum Dei; sed ut magis confirmarentur in fide, videntes ea quæ Paulus prædicabat esse consentanea fidei, quæ longe ante prædixerant Prophetæ. Sic licet Catholici intelligentes scrutantur Scripturas, non dubitantes de sua fide, sed ut Ecclesie consensum cum Scripturis cognoscant; & inde magis firmetur in fide. Quamquam nec dubitantibus prohibetur inquisitio veritatis, si fiat cum humilitate & docilitate. Ad 2. Vox græca *Erēnate* est anceps, potestque esse indicativi modi *Scrutamini*, vel imperativi *Scrutemini*. Si primum, Christus exprobat Judæis quod frustra legerent Scripturas, cum ille de ipso haberent testimonium, & tamen nolent credere. Si secundum, postquam Christus probasset Judæis testimonio Joannis & Patris, necnon miraculis, se esse Messiam a Deo promissum; culpavit eos, quod nolent credere; & ideò, ut confundantur, remittit ad Scripturas, quæ apertum de ipso habent testimonium. Ex quo sequitur, quod Hæretici, qui nolunt credere Ecclesie, sint culpandi, sicut Judæi, qui nolabant credere Christo; & ut confundantur, remittendi sunt ad Scripturas in factis apertis. Hæc sane nihil eis prosunt, quin potius nocent.

Obj. 2. 1. Joann. 2. v. 27. dicitur: Et vos unctionem Theol. Billuani Secunda Secunda.

quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendaciam: ergo aflatu Spiritus S. cuique privato est interpretes Scripturæ, & Judex controversiarum fidei. R. N. Cons. Non enim hic loquitur S. Joannes de Quæstionibus dubiis & controversiis, sed de Mysteriis fidei certis, quæ quilibet fidelis debet credere & scire, & quæ ipsi, quos alloquitur, sciebant ex Apostolis, seu ex unctione, quam in Baptismo & Confirmatione acceperant. Unde v. 21. dixerat: Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi sciens eam. Neque excludit instructionem Doctorum & Pastorum, sed pseudo-Apostolorum & pseudo-Doctorum, de quibus v. 18. dixerat: Nunc Antichristi multi facti sunt; & v. 26. immediate præcedente eum, qui obijcit: Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos. Alioquin cur ipsemet Joannes hæc proluxa Epistola instrueret fideles? Cur Christus posuisset in Ecclesia sua Pastores & Doctores?

Inst. 1. Jerem. c. 31. v. 3. & 34. Deus, loquens de tempore legis Evangelicæ, dicit: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam... Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim me cognoverunt, a minimo eorum usque ad maximum: ergo idem quod antè. R. sensum esse, legem veterem esse scriptam in cordibus ad amorem; est enim spiritualis & animo insculpta. Omnes erunt instructi, & cognoscent Dominum, & vir non docebit ultra proximum, id est, non opus erit magno libro, nec proluxa & molesta instructione externa ad persuadendam hominibus veri Dei cognitionem, sicut in veteri Lege, dum Prophetæ clamabant: Cognosce Dominum, & partem proficiebant, dum Rabbinii & Doctores legis mare & aridam percurrerant, ut facerent unum Proselytum; quia in nova Lege Deus sic illuminabit mentes, & movebit corda per gratiam, ut omnes fidei & brevi cognoscent, ut contigit Apostolis prædicantibus, qui non tam prædicatione, quam miraculis, Deo insuper intus illuminante, & corda movente, plura hominum millia convertibant. Unde illud Act. 2. *Compuncti sunt corde*, & c. 16. *Deus aperuit cor Lydie, ut intenderet his, quæ dicebantur a Paulo*. Erant ergo, juxta Prophetam, omnes instructi in fide veri Dei; at non propterea omnes statim intelligunt omnia, quæ in Scripturis continentur; est enim una omnium Christianorum fides, sed non est una omnium intelligentia. Eodem colliant plura alia Scripturarum testimonia, quæ opponunt Hæretici; hæc v. gr. quibus dicitur, homines doceri a Deo Isaïæ 54. & Joann. 6. Deum omnibus postulantibus sapientiam affluenter dare Jacobi. 1. oves Christi vocem ejus audire Joann. 10. Homines non debere vocari Rabbi, unum esse Magistrum Christum Matth. 23. His enim & similibus testimoniis non aliud significatur, quam quod, dum Pastores exterius instruunt & prædicant, Deus interiori gratia mentem illustrat, & cor movent, ut credamus, sine quo inutilis foret exterior prædicatio: idque longe ubiq; præstat in nova Lege, quam in veteri. At verò inde excludi ministerium exterius Ecclesie, prædicando, instruendo, interpretando, commentum est probris ridiculum: ut quid enim ipsi Apostoli tanto zelo prædicabant, tot litteras pro instructione fidelium scriperunt? ut quid Christus Pastores & Doctores in sua Ecclesia instituit, ut jam supra dicebam? ut quid ipsi Hæretici docent & prædicant? Unde Aug. Tract. 3. in Ep. Joann. Videte, inquit, fratres magnam Sacramentum: sonus verborum nostrorum aures percucit, Magister intus est. Nolite putare, quemquam aliquid discere ab homine, admoventur possumus per strepitum vocis nostræ, si non intus sit, qui doceat, intus sit scriptus noster... Cathedram in celo habet, qui corda docet. Propterea ait & ipse in Evangelio: Nolite vobis dicere Magistrum in terra, unus est Magister vester Christus, qui scilicet intus docet.

Inst. 2. 1. Thesal. 5. v. 21. dicitur: Omnia probate; quod bonum est, tenete. 1. Joann. 4. v. 1. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Joann. 7. v. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus (scilicet Dei) facere, cognoscat de Doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex me ipso loquar. 1. Cor. 2. v. 15. Spiritualis homo judicat omnia, & ipse a nemine judicatur: ergo quisque ex privato spiritu, maxime si sit probus & justus, potest int. ligere Scripturas, & judicare de rebus fidei. R. N. Cons. Ad 1. & 2. ibi est sermo de dubia revelatione; erant enim tunc facti Christianos, qui, quasi prophetantes, nova tanquam revelata proferebant: erant & Pseudo-Prophetæ, qui fissa pro veris suggerebant. De his rectè monet uterque Aposto-

lus, omnia probare, & quod bonum est, id est, firmæ & Christianæ Doctrinæ consentaneum tenere. At de his, quæ erant certa, & ab Ecclesia definita, ac probata, ut erant, quæ ipsi Apostoli docuerant, non dicit Paulus, Probate, sed: *Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.* Ad 3. sensus est, quod probitas multum conducit ad cognoscendum, an aliqua Doctrina sit ex Deo; tum quia Deus probis & amicis copiosiores illustrationes infundit; tum quia probi et iusti carent certis impedimentis cognoscendi Scripturam et veritatis fidei; quæ sunt passiones execrantes hominum mentes; et corda eorum depravantes: unde Christus Joann. 5. dicebat Pharisæis: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem queritis?* Non est autem sensus, quod quisquis privatus, hoc ipso quod est probus, possit per se intelligere omnia Scripturæ arcana et difficilia. Quot enim rustici probi, quot feminæ sanctæ, quibus hoc intelligentiæ donum non est concessum, & inter SS. Patres, qui certo erant probi & iusti, nunquid aliqui non erraverunt? Ad 4. Spiritualis iudicat omnia, id est, non solum terrena, sed etiam cælestia. Dixerat prius Apostolus: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei:* unde, cum addit, *Spiritualis autem, id est, fide instructus, iudicat omnia,* scilicet non solum terrena & naturalia, ut animalis homo, sed etiam cælestia, seu supernaturalia fidei: *Et ipse à nemine,* qui non est spiritualis, iudicatur, id est, argui & condemnari potest. Non ergo inde sequitur, quod homo spiritualis, seu fidelis omnia omnino & divina, & terrena possit iudicare. Res est evidens in exemplis mox productis: sunt viri simplices, plebeji & rustici, sunt & mulieres ad sensum Apostoli spirituales: nunc isti & istæ possunt de omnibus omnino terrenis & cælestibus, temporalibus & supernaturalibus iudicare? SS. Patres fuerunt admodum spirituales: an non aliqui malè iudicaverunt?

Obj. 3. Christus Joann. 5. v. 34. dicit: *Ego autem non ab homine testimonium accipio:* atqui accipere testimonium ab homine, si Ecclesia esset Iudex Scripturæ, & controversiarum fidei: ergo. R. Christus non accipere testimonium ab homine, quasi illo indigeat, ut probet suam divinitatem; & suam missionem, habebat enim testimonium Patris & miraculorum, ut ibidem dicit: *accepti autem testimonium ab homine, scilicet Joann. Baptista propter Judæos,* ut sic ad fidem perducerentur; quia testimonium Joannis Baptiste, quem consulerant de adventu Messie, plurimi faciebant. Non ergo Christus hic rejicit omne testimonium humanum in controversiis fidei, ut fingunt heretici; sed solum declarat, se sui causa non indigere, nostri vero causa esse adhibendum, quoties necessarium, vel utile fuerit, sicut hic ipse adhibuit propter Judæos. Adde, iudicium Ecclesie non debere censi purè humanum, cum sit ex ductu & inspiratione Spiritus S.

Inst. 1. Si Ecclesia iudicet de Scriptura, erit supra Scripturam. Absurdum Conseq. ergo. R. D. Maj. Si Ecclesia iudicet de Scriptura, quoad veritatem eorum, quæ Scriptura continet, erit supra Scripturam, C. Si iudicet de Scriptura tantum, quoad sensum ejus legitimum, N. Non ergo Ecclesia iudicat, an ea, quæ continentur in Scriptura, sint vera vel falsa; notissimum est enim ipsi, omnia esse vera; sed iudicat, quis sit sensus ejus legitimus: ex quo non magis est supra Scripturam, quam Iudex interpretans legem sit supra legem, aut legislatorem.

Inst. 2. Si Ecclesia sit supremus Iudex controversiarum fidei, dominabitur fidei nostræ, atqui hoc est contra Apost. 2. Cor. 1. v. 23. ubi dicit: *Parcens vobis, non veni ultra Corinthum, non quia dominatur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri, nam fide statis.* R. 1. N. Sequelam Maj. Neque enim Apost. neque Ecclesia, ex hoc quod sit supremus Iudex controversiarum fidei, dominantur fidei nostræ, sed sunt dumtaxat instrumenta, quibus Deus utitur, ut ipse dominetur fidei nostræ. R. 2. N. Min. Non enim sensus Apostoli est, quod non velit, aut non debeat dominari supra fidem Corinthiorum, sed quod ob fidem, quam ab ipso didicerat, non velit in eos usurpare dominationem in propria sua commoda, ut Domini temporales. Sic ergo accipe verba Apostoli: *Parcens vobis, non veni ultra Corinthum,* ne cogeret auctoritate Apostolica corrigere crimina, quibus quidam ex vobis sunt obstricti; *Non quia dominatur fidei vestræ,* id est, non quia ob fidem, quam vobis predicavimus, & ministerio nostro accepistis, velimus nos gerere ut Dominos vestros, & potestate nostra abuti in privata commoda; sed quod *Adiutores* esse velimus gaudii vestri, procurando vobis consolationem per correctionem eorum, qui sua malitia vos offendunt. Ita S. Anselmus apud Trinum, & communiter Interpretas. Nihil ho-

rum juvat Sectarios.

Obj. 4. Ut plurimum ignoratur à fidelibus, quodnam sit iudicium Ecclesie circa res fidei: ergo Ecclesia non potest esse Regula fidei. R. Iudicium Ecclesie de his, quæ omnes fideles tenentur credere explicitè, ut Deum esse trinum, esse Incarnatum, animam esse immortalem, usus Sacramentorum, &c. facile cognosci ex singulorum fide & praxi, quæ circa ea se produunt. Quantum ad ea, quæ omnes explicitè credere non tenentur, puta, hunc librum esse Canonicum, possunt rescire à Pastoribus.

Inst. Non constat inter Catholicos, cui hæc suprema auctoritas definiendi res fidei competat, an soli Rom. Pontifici, an Episcopis sine Pontifice; an soli Ecclesie congregatæ in Concilio, an etiam dispersæ; an sufficiat consensus tacitus Episcoporum, an requiratur expressus &c. ergo statui non potest Ecclesia, tanquam Iudex supremus controversiarum fidei. R. N. Cons. Quia duo constant apud Catholicos, quæ sufficiunt ad substantiam Questionis. Primum, iudicem controversiarum fidei non esse Scripturam Sacram, neque spiritum privatum, neque Principem sæcularem, sed Ecclesiam. Secundum, ipsam Ecclesiam representari per summum Pontificem cum majori parte Episcoporum. Cætera pertinent non ad substantiam, sed ad modum Questionis, de quibus infra.

#### ARTICULUS VII.

*Utrum Iudicium Ecclesie de sensu librorum, seu, ut vocant, de factis Dogmaticis, sit infallibile?*

##### §. I. Prænotanda.

**M**ovetur hæc questio occasione libri Jansenii Episcopi Iprensis. Cum Innocentius X. Constitutione, quæ incipit: *Cum occasione*, data 3. Maji 1655. 5. famosas propositiones extractas ex libro Jansenii, cui titulus, *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*, damnasset, fautores Jansenii hanc damnationem admiserunt, dixeruntque has 5. propositiones, ut scilicet, esse hereticas, verum eas non reperiri in libro Jansenii, aut in ejus sensu non esse damnatas. Ut hoc effugium præcluderet Alex. VII. Bulla, quæ incipit: *Ad sacram*, data 16. Octobr. 1656. Constitutionem Innoc. X. confirmans & innovans, declaravit, has 5. propositiones ex libro Jansenii, cui titulus, *Augustinus*, esse excerptas, ac in sensu ab Auctore intento damnatas. Tum ad instantiam Ludovici XIV. formulam edidit, cui tenerentur subscribere Episcopi & alii, in qua expressè dicitur, has 5. propositiones esse excerptas ex libro Jansenii, & in sensu ab Auctore intento damnatas. Hanc constitutionem ut eluderent Jansenistæ, confugerunt ad distinctionem facti & juris; dixeruntque, Ecclesiam esse infallibilem in questionibus juris definiendis: at non in questionibus facti; sicque persistunt in sua priori cavillatione, scilicet, Doctrinam propositionum damnatarum esse hereticam, sed eam falso attribui libro Jansenii, & hoc vocant factum.

Novum effugium non ita pridem excogitavit Theologus Belga, in Opusculo, cui titulus *Via Pacis*. Distinguit inter sensum *Quis*, & sensum *Qualis*: Sensus *Quis*, seu grammaticalis est naturalis, & obvia significatio alicujus propositionis: Sensus *Qualis* est qualitas sensus *Quis*; an sit verus, vel falsus, Orthodoxus, vel Hæreticus. Concedit, iudicium Ecclesie de sensu *Qualis* esse infallibile, non de sensu *Quis*; dicitque, de facto errasse definiendo sensum *Quis* quinque propositionum esse sensum Jansenii; & illam damnando, quasi esset Jansenii. Verum non advertit iste Auctor, Ecclesiam non posse iudicare de sensu *Qualis*, nisi iudicet prius de sensu *Quis*, & ipsum supponat, non enim potest dicere hanc propositionem: *Mandata Dei sunt impossibilia*, continere sensum hereticum, nisi prius cognoscatur, quid significet, aut quem sensum habeat ista propositio.

Si dicas: Ecclesiam posse iudicare, qualis sit sensus alicujus propositionis absque eo quod cognoscatur, quis sit ejus sensus, dicendo, v. gr. Hanc propositionem hoc, vel illo sensu intellectam esse hereticam; tunc enim iudicat, qualis sit sensus, & non quis sit. R. 1. Ecclesiam non solere esse condemnare propositiones, nisi quando sunt ambiguae, sed regulariter damnare propositionem determinatam secundum suum sensum naturalem & obviu, in quo casu debet hunc sensum cognoscere. Neque obstat, quod possimus iudicare de sensu *Qualis* totius Scripturæ sacre absque eo quod cognoscamus, quis sit ejus sensus. Disparitas est enim, quod Scriptura sacra non sit materia controversæ, sed

sed hoc ipso quod nobis constat, esse Scripturam sacram, seu Dei verbum, certa fide cognoscimus omne, quod in illa continetur, esse verissimum. At, quæ definit Ecclesia circa sensum librorum & propositionum sunt materia controversæ, quæ subiectioni ejus examini & iudicio: iudicium autem supponit notitiam causæ. R. 2. Si Ecclesia sit fallibilis in iudicando, quis sit sensus propositionis, quam condemnat, est pariter fallibilis circa sensum *Quis* propositionum, quibus explicat, quo sensu propositio damnatur. Non enim est magis infallibilis circa sensum *Quis* propositionum, quas profert, quam circa sensum *Quis* propositionum, quas interpretatur & iudicat, cum sit utrobique eadem ratio. Sicque non teneor credere, hanc propositionem, hoc, vel illo sensu intellectam, esse hereticam, quamvis id dicat Ecclesia; quia fortè errat circa sensum *Quis* propositionum, quibus id iudicat & proponit: est enim fallibilis, ut vult obiciens circa sensum *Quis* propositionum.

Cæterum questio procedit de sensu *Quis* & *Qualis* propositionum, scriptorum, librorum, præsertim Jansenii. intellige sensum *Quis*, seu grammaticalem theologice sumptum, id est, in ordine ad hoc, ut cognoscatur, an contineat veritates fidei & morum, an eis contradicat. Utrum sensus ejus libri sit sensus quinque propositionum, isque hereticus: quod, ut dixi, vocant factum. Factum triplex communiter distinguitur. Unum personale & particulare, v. gr. An Titius commiserit crimen, an sit legitime ordinatus? &c. Aliud generale, quod spectat totam Ecclesiam, v. g. an canonizatus sit verè Sanctus? an Bened. XIV. sit summus Pontifex? an Concilium Trid. sit Ecumenicum? Tertium Dogmaticum, seu Doctrinale: an aliquis liber, aliqua epistola, aliqua propositio contineat veram, vel falsam doctrinam? Sic v. gr. Utrum mandata Dei sint impossibilia, abstractendo ab omni propositione verbali, vel scripta, est questio juris & dogmatis. Utrum autem hæc doctrina, hic sensus contineatur in ista propositione, in isto libro, puta Jansenii, est questio facti dogmatici.

Quantum ad facta particularia & personalia, quæ nituntur tantum testimoniis humanis fallibilibus, neque ad regimen totius Ecclesie, omniumque fidelium salutem pertinent, communis sententia est Ecclesie iudicium posse errare. Unde S. Th. quodl. q. a. 16. dicit: *In aliis verò sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de ejusmodi, possibile est iudicium Ecclesie errare.* Quantum ad facta generalia, totam Ecclesiam spectantia, dicemus infra. Questio itaque nunc est de factis dogmaticis, seu doctrinalibus: Utrum iudicium Ecclesie de Doctrina, seu sensu alicujus textus, seu scripti, sit infallibile? Defensores Jansenii communiter distinguunt inter textus breves & longos. Patent, iudicium Ecclesie de sensu & doctrina brevis textus esse infallibile, & ideo admittunt 5. famosas propositiones, proit scilicet, esse hereticas, & legitime damnatas. Negant autem de sensu, seu doctrina textus longi alicujus libri, aut epistolæ & ideo contendunt, doctrinam & sensum libri Jansenii esse immunitam à Censura, Ecclesiamque errasse, tribuendo illi sensum & doctrinam hereticam; quippe qui, ut ajunt, nihil aliud continet, quam puram S. Aug. doctrinam. Unde quantum ad hoc Ecclesie iudicium de facto Jansenii existimant sufficere, si pro eo silentium, ut vocant, respectuosum, seu obsequiosum observent, absque eo quod interius credere teneantur doctrinam libri Jansenii esse hereticam, et ut talem damnare. Hæc autem reprobavit Clemens XI. in Bulla: *Vineam Domini Sabaoth*, data 7. Kal. Aug. 1705. Quantum ad subscriptionem formulæ Alexandri VII. rigidiores Jansenistæ tenent, eam non posse fieri simpliciter absque mendacio et perjurio. Alii molliores, posse fieri simpliciter, eo prætextu quod, ut sibi fingunt, cadat super dogma quoad assensum interiore, et super factum quoad obsequiosum silentium, præsertim post pacem Clementis IX. contra sensum obviu Formulæ.

Non est itaque Questio, an liber, cui titulus: *Augustinus Jansenii*, sit genuinus Jansenii factus, an illi suppositus? Hoc factum est merè personale et historicum, de quo non iudicat Ecclesia, sed de sensu et doctrina hujus libri, qui sub nomine Jansenii circumferuntur, sive sit illius, sive non. Neque est questio, utrum 5. famose propositiones totidem verbis contineantur in libro Jansenii? Sed utrum sensus propositionum sit sensus libri. Neque tandem questio est de sensu personali et interno, quem habuit Jansenius scribendo hunc librum, an reverè habuerit in mente sensum, quem verba, quibus usus est, præ se ferunt: id quidem jure præsumitur, nisi velis ipsum, aut ignarum testem, qui nesciret significationem naturalem et obviu verborum; vel fallacem, qui illam alio de *Theol. Billuart. Secunda Secundæ.*

torserit. Cæterum id non definit Ecclesia, quæ de internis non iudicat: unde, cum damnavit 5. famosas propositiones in sensu ab Auctore intento, nihil aliud intellexit per sensum ab Auctore intentum, quam sensum naturalem, et obviu, quem verba præ se ferunt, ut declaravit Innoc. XII. in Brevi ad Episcopos Belgi dato 6. Febr. 1694. Dicitur autem ab Auctore intentus; quia, ut jam dixi, præsumitur illum intendisse, si, ut supponitur, cognoverit significationem verborum, et sincerè locutus fuerit.

##### §. II. Resolutio Questionis.

**D**ico: Iudicium Ecclesie de sensu librorum, seu de factis dogmaticis, est infallibile. Prob. 1. iisdem Scripturæ testimoniis, quibus probavimus infallibilitatem Ecclesie in Questionibus juris, seu controversiis fidei. Matth. 16. *Porta inferi non prævalent adversus eam, Ecclesiam.* Ib. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Joann. 14. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Ib. 16. *Cum venerit autem ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ib. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 1. Tim. 3. *Ecclesia Dei vivi columna & firmamentum veritatis;* atqui hæc subsistere non possunt, si Ecclesia sit fallibilis circa sensum librorum, seu facta dogmatica: ergo. Prob. Min. Pone, Ecclesiam reverè falli iudicando librum hereticum, puta Institutiones Calvinii, continere sensum Orthodoxum et Doctrinam Catholicam, et e contra librum Catholicum, puta opera Augustini, continere sensum erroneum et Doctrinam hereticam; hocque iudicium omnibus fidelibus proponatur: fideles credent, quæ legent in Institutionibus Calvinii, Deum esse Auctorem peccati, ipsum impellere ad peccandum, solum fidem justificare, habenti fidem nulla peccata imputari, bona opera esse inutilia, Corpus Christi non esse realiter præsens in Eucharistia; hæc, inquam, & plura alia impia & heretica, in his Institutionibus contenta, credent Catholica; & e contra quæcumque Aug. propugnavit contra Manichæos, Donatistas, Pelagianos, &c. credent heretica; sicque universa Ecclesia inducetur, in errorem, portæ inferi prævalent adversus eam, non erit amplius columna & firmamentum veritatis, Christus non erit cum ea omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, Spiritus S. non docebit illam omnem veritatem, & non manebit cum illa in sempiternum, malè pascer oves & agnos, præbendo illis pascea venenata pro sanis ergo. His Scripturarum testimoniis Concilium V. generale probat suam auctoritatem in condemnandis tribus Capitulis.

Si dicas, quod in hac hypotesi Ecclesia non erraret circa dogma, sed circa factum, seu attributionem dogmatis illi, vel tali libro, sicque portæ inferi non prevalerent talibus. R. Esto, Ecclesiam docentem, seu Pastores non errare circa dogma; verissimum est tamen, quod inducerent omnes fideles in errorem circa dogma; non enim possunt cognoscere dogma nisi in fieri, scilicet in libro, vel propositione, quam Ecclesia approbat, vel condemnat. Si ergo Ecclesia approbat Institutiones Calvinii, fideles omnia, quæ in illis continentur, acceptabunt ut Catholica. Quod si lo te quidam Doctores privati reclamet & dicant, Ecclesiam in hoc iudicio errasse, ab omnibus fidelibus reputabuntur tanquam schismatici, temerarii, & rebelles solemnī Ecclesie iudicio. Non ergo sufficit ad servandam fidem depositum, & ad officium Pastoris & Doctoris, quod Ecclesia docens intendat asserere veritatem, aut proscribere errorem; sed hæc veritas, & hic error reperiri debent in his locis, quæ Ecclesia indicat, allas malè instrueret, & malè pasceret fideles, qui sensum interiorum Pastorum, seu Ecclesie docentis penetrare non possunt. Totum hoc pluribus in locis innuit Apost. Eph. 5. *Nemo vos seducat inanibus verbis.* 1. Tim. 6. O Timothee depositum custodi, deviantes profanas vocum novitates. 2. Tim. 1. Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide. Bonum depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in vobis, Ibid. 2. Profana autem, & vaniloquia debita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum ut cancer serpit. His omnibus aperte significat Apost. depositum fidei perdit, & errorem atque hæresim induci libris, sermonibus, & verbis. Hoc est, factis dogmaticis. Unde Auct. 2. 2. q. 11. a. 2. ad ad 2. *Per verba, inquit, quæ quis loquitur, suam fidem proficitur; est enim confessio actus fidei: & ideo, si sit inordinata locutio circa ea, quæ sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei.*

Confirm. 1. Dogma proponendum fidelibus est inseparabile

bile a facto, & ita cum eo connexum, ut dogma non possit proponi infallibiliter, quin factum eadem infallibilitate proponatur; atque Ecclesia est infallibilis in proponendo dogmate: ergo & in facto dogmatico proponendo. Min. constat ex Antecedentibus. Prob. Maj. Quamvis dogma possit mente perpendi, & examinari sine facto, non potest tamen proponi fidelibus, sive vitandum, sive tenendum absque facto, id est, absque textu propositionis, aut libri; quod si sit fallibilis proponendo textum, nemo tenetur illi credere, quia forte errat: ergo. Confirm. 2. Christus nunquam deest suae Ecclesiae in his, quae sunt necessaria ad depositum fidei custodiendum, & ad communem fidelium salutem. Id constat ex ipsius promissionibus, de quibus supra; atque ad depositum fidei servandum & ad communem fidelium salutem necesse est, ut veram, vel falsam doctrinam in libris expressam, pascua sana & venenata infallibiliter discernere possit, atque controversias quotidie emergentes de sensu librorum supremo iudicio componere, ut ex se, & ex jam dictis patet: ergo.

Prob. 2. Ex usu constanti Ecclesiae: 1. Concilium Nicenum I. in Ep. Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam apud Socratem l. 1. cap. 9. dicit: *Placuit Concilio communibus Suffragiis anathema denotare, & ipsi (Acto) & nefario ejus propositioni, & verbis sententisque execrabilibus, quibus unus est ad filium Dei blasphemis operandum.* 2. Sensum obscurum & involutum libri Pelagii reprehendit & damnavit Ecclesia, ut testatur Innoc. I. Ep. inter Augustinianas 183. *Librum inquit, qui ejus esse diceretur, evolovimus, in quo multa contra Dei gratiam legimus esse conscripta, multa blasphemata, nihil quod placeret, & nihil penè quod non penitus displiceret, a quovis damnandum, atque calcandum. . . anathematizet ergo ista, quae sentit, &c.* Innocentii autem iudicio acquieverunt 214. Episcopi in Concilio Africano an. 417. & alii per orbem dispersi. 3. Concilium Chalcedonense Act. 4. declarat haereticum, quicumque non diceret anathema Eutychemi, & Act. 8. dixerat, Theodoretum esse haereticum & foras eiciendum, eò quod post plures instantias nollet simpliciter, & sine explicatione dicere anathema Nestorio, quod tamen tandem praestitit. Hoc factum ad rem presentem omnino pertinens late discussum et vindicatum adversus geras Novatorum require in Tract. de Incarnatione Digress. 2. ad Dissert. 4. Sect. 5. 4. Concilium V. Generale Constantinum. 2. Act. 8. damnavit scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoretii Cyrensis, & Ibae Edesseni, vulgo tria Capitula imò ad hoc unum, & ad damnationem scriptorum Origenis fuit congregatum. Neque solum damnavit haec tria Capitula, ut Nestoriana, sed anathematizavit quicumque ea defenderet, aut excusaret, aut non condemnaret. 5. Concilium Lateran. IV. declarat haereticum, qui probaret, aut defenderet doctrinam Abbatis Joachim in suo libello de Trinitate. Aliud prius Concilium Lateran. sub Martino I. ann. 649. Can. 18. sic definit: *Si quis secundum SS. Patres consonanter nobiscum eadem credens, non respuit & anathematizat: Anima & ore omnes, quos respuit & anathematizat, nefandissimos haereticos cum omnibus impiis eorum scriptis, usque ad unum apicem, sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, hoc est, Sancta & universalis quinque Synodi. . . sit condemnatus.* 6. Concilium Constantiense Sess. ultima praescribit formulam, qua interrogari debeant, qui suspecti sunt errorum Wiclei, Joann. Hus, et Hieron. de Praga, sic: *Utrum credat, quod condemnationes Joannis Wiclei, Joannis Hus, & Hieron. de Praga facte de personis eorum, libris & documentis per sacrum generale Concilium Constantiense, fuerint ritè & justè factae, & a quolibet Catholico pro talibus tenenda, & firmiter asserenda. Item, utrum credant, teneant, asserant, Joannem Wiclef de Anglia, Joannem Hus de Bohemia, & Hieron. de Praga fuisse haereticos, & pro haereticis nominandos, ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuisse & esse perversas, propter quos & quas, & errorum pertinaciam per sacrum Concilium Constantiense pro Haereticis sunt condemnati.* Nec obstat, quod non solum de libris et de doctrina pronuntiet, sed etiam de personis, circa quas tamen potest errare. Neque enim circa personas, attentò sensu obvio Scriptorum illo rum errare potest: quantum autem ad sensum internum, se Haereticos notorie sua pertinacia prodiderant. Unde de personis sub utraque ratione pronuntiare poterat. Denique Concilium Trid. Sess. 22. Canon 6. definit: *Si quis dixerit, Canonem Missae continere errores, idèque abrogandum esse, anathema sit.* In his omnibus agitur, ut patet, de sensu Librorum et Auctorum, seu de factis dogmaticis, atque in iis definiendis Ecclesia agnoscit suam auctoritatem infallibilem:

alioquin quomodo posset declarare Haereticos, et anathematizare eos, qui iudicio incerto et fallibili non acquiescerent? Si verò Ecclesia se in his exhibet infallibilem, ita est indubie, alias erraret in dogmate.

Ad haec nihil habent, quod respondeant Jansenistae, nisi quod ista facta dogmatica erant clara et aperta, de quibus nulla erat controversia; factum autem Jansenii est obscurum, involutum, et valde controversum. At. 1. Quibus ista persuadeant, non video, nisi forte stiptibus, aut mulierculis: nemini enim, qui è limine salutavit Historiam Ecclesiasticam, aut Theologiam positivam, non notum est, quot controversiae, quot dissidia, quae strages occasione istorum factorum Ecclesiam turbaverint; quot Episcopi aliunde orthodoxi, vel ex obscuritate factorum, vel ex praedictis, vel ex nimia propensione in Auctores, ab eorum parte steterint, et idè ab Ecclesia sint male habiti. 2. si hoc ipso quo factum dogmaticum aliquibus videtur obscurum, et ab eis in controversiam vocatur, Ecclesia sit in eo definiendo fallibilis, licetque ejus iudicia in dubium & ad examen revocare, nihil erit fixum in Ecclesia, omnes haereses reviscent, & nulla poterit efficaciter comprimi; nulla est enim, aut fuit, quae non habuerit, aut habeat suos fautores, & quod uni videtur clarum, alteri apparet obscurum. 3. Si infallibilitas in definiendis factis dogmaticis sit Ecclesiae necessaria, ut mox probavimus, longè magis urgent haec necessitates in obscuris, quam in claris; ista enim sese produnt, non illa.

Prob. 3. Rat. Ecclesia est infallibilis in definiendo, quis sit sensus Scripturae & Traditionis: ergo & in definiendo, quis sit sensus alicujus libri, vel propositionis, theologiae sumptus. Ant. admittitur ab Adversariis & constat; hoc ipso enim quo Ecclesia definit infallibiliter, nostram Vulgata esse authenticam, seu conformem suo autographo, debet judicare infallibiliter, quis sit ejus sensus, & eum esse conformem suo autographo. Aliundè, si Ecclesia errare posset in explicando sensu Scripturae, vel Traditionis, tota corruebat Religio, in Scriptura & Traditione fundata. Prob. Cons. Hoc ipso quo quis cognoscit infallibiliter, quis sit sensus alicujus propositionis, aut libri, cognoscit eadem infallibilitate, quis sit sensus ejusdemque propositionis ipsi conformis, aut ipsi contrarius ubicumque reperitur. Sic, qui cognoscit infallibiliter, quis sit sensus hujus propositionis, *Mandata Dei sunt possibilis*, cognoscit eadem infallibilitate, quis sit sensus hujus propositionis conformis: *Homo potest implere Dei mandata*; & istius opposita: *Mandata Dei sunt impossibilia*: ergo, si Ecclesia sit infallibilis in definiendo, quis sit sensus Scripturae & Traditionis, est infallibilis in definiendo, quis sit sensus ejusdemque propositionis, aut libri. Prob. Ant. Sensus ejusdemque propositionis habet relationem ad quemlibet alium sensum sibi conformem, aut sibi oppositum: sique cognitio illius importat duo extrema, scilicet conformitatis, vel oppositionis, super quae cadit; relativorum enim eadem est cognitio: ergo hoc ipso, &c. Confirm. Ad eandem scientiam Juris pertinet cognoscere, non solum quis sit sensus legum, sed etiam quis sit Auctorum interpretantium leges; alias cognoscere non posset, an interpretatio sit conformis, vel contraria legi: ergo similiter ad eandem infallibilem Ecclesiae cognitionem pertinet cognoscere, non solum quis sit sensus Scripturae & Traditionis, sed etiam quis sit sensus Auctorum interpretantium Scripturam & Traditionem; alias non posset judicare, an interpretatio sit conformis, vel contraria Scripturae & Traditioni.

Prob. 4. ab inconvenientibus. Si Ecclesia sit fallibilis in definiendo, quis sit sensus Scripturam, seu infactis dogmaticis definiendis; sequitur 1. quod nute Traditio, adeoque authenticitas Scripturae in Traditione fundata. Prob. Sequela; quia Traditio non habetur nisi ex scriptis Conciliorum & SS. Patrum: ergo, si Ecclesia errare possit in definiendo, quis sit sensus illorum Scripturam, nute Traditio in eo fundata. Explicatur amplius. Quamvis Jus sit, Scripturam sacram & Traditionem esse verbum Dei, omnes veritates in eis revelatas esse fide tenendas; est tamen factum dogmaticum, quod nostra Vulgata continet verbum Dei; quod sensus ejus sit conformis sensui autographi; quod sensus SS. Patrum sit talis, vel talis; quod conspirent ad formandam Traditionem; quod Canones Conciliorum, puta, Niceni, aut Trid. continent dogmata Catholica; haec, inquam, sunt facta dogmatica, in quibus definiendis si errare possit Ecclesia, corrumpit tota Religio. Sequitur 2. quod nullus Haereticus, nullus liber, quantumvis perniciosus, possit convinci haeresos, & ut talis damnari. Dicent enim omnes Haeretici, Ariani, Nestoriani, Pelagiani, Eutychemi, Luterani, Calvinistae exem-

plo

plo Jansenistarum, se omnes haereses abhorreere; se nihil nisi Scripturae consentaneum scripsisse: quod si Ecclesia aliter eorum libros intellexerit, sit questio facti, in quo est fallibilis: sique resurgunt omnes haereses antiquae, novae suscitabuntur, absque eo quod Ecclesia possit illis accurere efficaciter. Sequitur 3. quod Ecclesia sit etiam fallibilis in iure; quando enim Ecclesia condemnat aliquam propositionem ut haereticam, eam damnat in sensu obvio. Si ergo Ecclesia erret, & non intelligat, quis sit sensus obvis, sed alium pro obvio apprehendat; propositio damnata ut haeretica erit Catholica in sensu obvio, adeoque damnata ab Ecclesia in sensu Catholico.

Prob. 5. argumento ad hominem. Admittitis, Jansenistae, quinque famosas propositiones esse rectè damnatas, & haereticas, atque Ecclesiam in his damnandis infallibilem; atqui hoc est factum dogmaticum, non secus, ac quod textus libri Jansenii sit haereticus, estque hoc primum factum difficultius resolvendum, & minus periculosum, quam secundum: ergo. Prob. Min. 1. Quod sit factum, patet; sicut enim est questio facti, utrum textus libri Jansenii contineat dogma haereticum; ita questio facti est, utrum textus unius propositionis contineat idem, vel simile dogma? Nulla disparitas adferri potest. 2. Quod sit difficultius resolvendum: quia in textu longiori totius libri potest dignosci sensus ex antecedentibus; & consequentibus, ex titulo, ex forma procedendi, & toto discursu: haec autem non reperiantur in brevi textu unius propositionis. 3. Quod sit minus periculosum; quia in simplici propositione nuda; & brevi nihil invenitur, quod allicit, & incitet ad sui sequelam, sicut allicit liber per annotationes, suppositiones, principia, probationes, refutationes, varios, & gratos dicendi modos, per male explicatos, aut truncatos, aut intrusos Scripturae, Patrum, & Conciliorum textus, & similia; quae omnia, juncta cum fama, & celebri auctoris nomine, Lectores facili, & insensibiliter inescant, ac tandem in suas partes attrahunt. Confirm. Secundum vos Ecclesia infallibiliter approbavit textum Augustini: quidni infallibiliter damnavit textum Jansenii? Cum textus Augustini sit fufus, & obscurus textu Jansenii, quippe qui, ut praetenditis, est explicatio Augustini.

## §. III. Solvantur Objectiones.

Obj. 1. Christus non promisit infallibilitatem Ecclesiae, nisi in rebus fidei; atqui factum dogmaticum, v. gr. quod liber Jansenii contineat errores, non est fidei: ergo. Prob. Min. Nihil est fidei, quod non sit revelatum; atqui non est revelatum, quod liber Jansenii contineat errores: ergo. Huic argumento, quod magni faciunt, & quo pro ense, & clypeo utuntur Jansenistae, duplex est responsio, quarum alterutra ad frangendum eorum contumaciam sufficit. Prima responsio negat Jansenistae, quae omnino gratis, & absque ullo Scripturae, aut Traditionis testimonio asseritur; quin potius contrarium constat ex probat. Conclusio. Est enim necessaria haec infallibilitas in factis dogmaticis, etiamsi non sint fidei, sed revelata, ut patet interni non praevalent adversus Ecclesiam, ut Ecclesia permanet columna, & firmamentum veritatis, ut depositum fidei custodiat, bene pascat oves, & omnium fidelium salutem provideat. Christus autem non deficit in necessariis suae Ecclesiae, cui promisit adesse omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, & eam docere omnem veritatem. Haec itaque infallibilitas, juxta presentem responsionem, non ex revelatione, sed ex speciali assistentia Spiritus Sancti habetur. Enimvero contendunt Jansenistae, Ecclesiam iudicio infallibili pronuntiasse, opera Augustini contra Pelagianos, & semi-Pelag. continere doctrinam Catholicam. Estne magis revelatum istud factum, quam factum Jansenii?

Inst. 1. Si factum Jansenii non sit revelatum, non est credendum Fide divina, sed humana tantum; atqui, quod creditur fide humana tantum, est incertum, & errori obnoxium: ergo. R. Factum Jansenii juxta datam responsionem non esse credendum, neque fide divina, neque merè humana, sed fide Ecclesiastica, quae est quasi medià inter divinam, & humanam, sed firmissima, & certissima, utpotè innixa speciali assistentia Spiritus S. & in de infallibilitati Ecclesiae in his rebus. Neque dicas, hanc assistentiam esse ipsam revelationem; aliud enim est alicui revelare veritates, aliud auxiliari, & adesse, ne a veritatibus revelatis deviet. Patet in definitionibus Conciliorum, quibus non fiunt novae revelationes, alioquin Patres forent Scriptores sacri, & definitiones eorum forent Scripturae sacrae; sed quibus assistit Spiritus S. ne errant.

Ins. 2. Quidquid definitur in Conciliis, excepta sola fide, retractari potest: ergo si factum Jansenii non sit fidei, iudicium Ecclesiae circa illum non est infallibile. Prob. Ant. S. Leo Ep. ad Maximum Antiochenum de Concilio Chalced. loquens dicit: *Siquid sanè ab his fratribus, quos ad Synodum vice mea misi praeter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullus erit penitus firmiatis. . . Quidquid enim praeter speciales causas Synodali Concilio ad examen Episcopale deferretur, potest aliquam adjuvandi habere rationem. Quae verba referens Pelagius II. Ep. ad Episcopos Istriae addit: *Aperit nobis licentia tribuitur, ut quidquid illic (in Concilio Chalced.) extra fidei causas de personis gestum est, retractetur; specialis quippe Synodali Concilio causa est fides. Quidquid ergo praeter fidem agitur, Leonis docente, ostenditur, quia nihil obstat, si ad iudicium revocetur.* Et infra de Epistola Ibae, quae est factum dogmaticum, dicit: *Licet iniquisque eam reprehenderet, etiamsi Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam inscriptionibus approbassent:* ergo. R. D. Ant. Quidquid, excepta fide, definitur in Conciliis solutis, & a Summo Pontifice non confirmatis, retractari potest, C. in Conciliis subsistentibus, & a summo Pontifice confirmatis, N. Concilium autem Chalcedonense, de quo loquuntur Summi Pontifices, fuit absolutum Act. 6. antequam ageretur de tribus Capitulis, & non nisi quoad damnationem Eutychemianis fuit à S. Leone confirmatum, ut probavimus infra, dum specialitè de tribus Capitulis dicemus.*

Inferes: ergo, qui negant factum Jansenii, non sunt haeretici. R. Ita quibusdam videri, qui consent eorum duntaxat temerarios, inobedientes, rebelles, & excommunicatos. Possent tamen dici haeretici, non praecise quia negant factum Jansenii, quod juxta haec responsionem non est revelatum; sed quia illud negando negant infallibilitatem Ecclesiae in his definiendis, quae infallibilitas videtur revelata, & de fide; de quo infra.

Secunda responsio; omnia Maj. Negat. Min. ad Prob. Quidam negant Min. juxta tertiam probationem, quia cum sensus Scripturae, & Traditionis sit revelatus, sensus cuiusque libri, aut propositionis ipsi conformis, vel oppositus, est etiam revelatus, quia est eadem relativorum cognitio, ut dictum est. Alii distinguunt eandem Min. sic: Factum Jansenii non est revelatum immediate, C. mediatè, N. Solutio explicabitur in seq. responsione.

Subsumes; atqui, quod est tantum mediatè revelatum, non est objectum assensus fidei, sed Theologiae, ut diximus in prima parte: ergo. R. D. Subsumptum. Quod est tantum mediatè revelatum, ut effectus in causa, vel proprietates in essentia, non est objectum fidei, sed Theologiae, transeat. Quod est tantum mediatè revelatum, ut pars in toto, N. Itaque veritas a Deo revelatur dupliciter: 1. immediate in se in particulari, ut haec, *Deus est trinus, Christus est homo.* 2. mediatè in alio; & hoc iterum dupliciter; velat effectus in causa, seu proprietates in essentia, ut haec, v. gr. *Christus est risibilis*, revelata est in haec, *Christus est homo*, ut in sua causa: vel ut pars in suo toto, ut haec, *David peccavit in Adam*, revelata est in haec universali, ut pars in toto, *Omnes in Adam peccaverunt.* Esto ea, quae revelantur ut effectus in causa, non sint objectum fidei, sed assensus dumtaxat Theologiae, quia effectus continetur tantum virtualiter in causa: quae tamen revelantur ut partes in toto, aut objectum fidei; quia partes non sunt solum virtualiter in toto, sed formaliter; & veritas propositionis universalis per se petitur ex veritate propositionum particularium, quae in illa formalitè continentur; in tantum enim propositio universalis est vera, in quantum propositiones particulares, quas continet, sunt verae: unde eo ipso, quo revelatur formaliter propositio universalis, revelantur etiam formaliter propositiones particulares, sique ad idem fidei lumen pertinent. Porro revelatum est universaliter, omnem textum, omnem propositionem, omnem librum ab Ecclesia damnatum esse verè damnabilem, id namque comprehenditur sub infallibilitate Ecclesiae revelata: ergo & hunc textum hujus propositionis, puta Jansenii. Dixi, Transeat subsumptum; quia quidam volunt, quod hoc ipso, quo aliqua veritas deducitur ex articulo revelato, etiamsi ut effectus ex causa, ut quod Christus sit risibilis ex hoc quod sit homo, si de facto deducatur per infallibilem Ecclesiae declarationem, censetur sufficienter revelatum, ut sit de fide; quia Ecclesiae declaratio est locutionis, & revelationis divinae quaedam extensio, & complementum: unde est fidei, non quia est virtualiter revelata, & vi discursus naturalis deducta, sic enim est objectum Theologiae tan-

tantum; sed quia ab Ecclesia infallibilis est declarata, & ab illo articulo, in quo latebat, educta eo ferè modo, inquirunt, quo sexta Synodus definitivè contra Monothelitas esse duas in Christo voluntates, quia sunt duæ naturæ, quod foret fidei, etiamsi duæ voluntates non essent formalitè expressæ in Scriptura.

Inst. Dato quod sit de fide, omnem textum ab Ecclesia damnatum esse damnabilem, non tamèn est de fide hunc textum Jansenii damnatum ab Ecclesia esse damnabilem: ergo. Prob. Ant. Veritas hujus propositionis particularis: *Hic textus Jansenii est damnabilis*, non cognoscitur, nisi mediante hoc discursu humano: *Omnis textus ab Ecclesia damnatus est verè damnabilis; atqui textus Jansenii est ab Ecclesia damnatus: ergo textus Jansenii est verè damnabilis*; atqui cognitio, seu assensus veritatis, quæ innititur discursu humano, non est fidei: ergo. Insuper Minor hujus syllogismi non est de fide: ergo nec conclusio, quæ juxta Regulas dialecticas sequitur debiliorem partem. R. N. Ant. Ad 1. Probat. D. Min. Assensus veritatis, quæ innititur discursu humano, ut causæ moventi ad assentiendum, non est fidei, C. Ut causæ applicanti motivum assentiendi, seu ipsam revelationem, N. Non repugnat ergo cognitio, seu assensus fidei, quod supponat aliquem discursum, non tanquam motivum, propter quod præbeat assensum, sed per quem revelatio universalis applicetur huic particulari subjecto, ut patet in hac propositione: *David peccavit in Adam*, quæ licet sit fidei, indiget tamèn, ut credatur, hoc discursu: *Omnes posteri Adami in ipso peccaverunt; atqui David est ex posteris Adami: ergo David in Adam peccavit*. Iste discursus non est causa, seu motivum, propter quod credo, Davidem in Adam peccasse, sed est tantum applicatio hujus revelationis universalis, *Omnes in Adam peccaverunt*, huic particulari subjecto, scilicet Davidi, & ista revelatio est motivum, cur credam, Davidem peccasse in Adam; ita in nostro casu.

Ad 2. Prob. N. hanc Regulam Dialecticæ habere locum in discursu merè applicativo; quia propositio universalis, quæ ponitur in majore, non est causa propositionis particularis, quæ ponitur in conclusione; cum, ut dictum est, propositio universalis nihil aliud sit, quam omnes propositiones particulares: Minor autem naturalis hæc; *atqui textus Jansenii est damnatus ab Ecclesia*, est tantum explicatio Majoris universalis, & ejus applicatio ad hoc determinatum subjectum. Unde, si propositio universalis sit de fide, non obstante minori naturali, conclusio particularis, in Majori contenta ut pars in toto, erit etiam de fide.

Repones: In hoc Syllogismo: *Omnis hostia ritè consecrata est adoranda; atqui hæc hostia est ritè consecrata: ergo est adoranda*: quamvis Conclusio continetur in Majori de fide ut pars in toto, non est tamèn de fide propter Minorem naturalem: ergo similiter in casu nostro. R. N. Conseq. Quia, ut aliqua propositio particularis contenta in Universali de fide sit quoad nos de fide, debet nobis certò constare, eam contineri in Universali de fide; certò autem nobis constat per solemne Ecclesie judicium, textum Jansenii esse ab ea damnatum; at non ita constat, hanc hostiam esse ritè consecratam: si tamèn nulla sit ratio dubitandi, quin sit consecrata, potest adorari, quia ad hoc sufficit judicium prudeniale, seu practicè verum.

Urgebis: Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei; atqui factum Jansenii non continetur in verbo Dei: ergo. Item Ecclesia non habet novas revelationes, nec articuli fidei successione temporum crescunt; atqui hæc duo videntur admittenda, si factum Jansenii sit revelatum, & fidei divinæ: ergo. R. Harum Instantiarum solutiones fluere ex dictis. Ad 1. D. Min. Factum Jansenii non continetur in verbo Dei explicitè, & immediatè, C. implicitè, & mediatè, N. Continetur enim in hac generali propositione revelata: *Omnis textus ab Ecclesia damnatus est damnabilis*. Ad 2. hæc revelatio universalis mòx dicta non est nova, sed fuit ab initio, consequenter damnatio textus Jansenii non est novus articulus fidei, sed explicatio, & applicatio revelationis universalis ad particulare, & determinatum subjectum. Sicut, cum nascitur homo, est de fide, quod peccaverit in Adam; non est tamèn nova revelatio, neque novus articulus fidei, sed explicatio tantum, & applicatio hujus revelationis universalis, *Omnes peccaverunt in Adam*, ad particulare, & determinatum subjectum. Confer dicenda art. ult. seq. Dissert.

Instans: Tria Capitula erant facta dogmatica; atqui non pertinebant ad fidem: ergo. Prob. Min. ex S. Leone, & Pelagio II. citatis in 1. Instantia prioris Responsionis. Item Pelagius I. Ep. ad Childebertum Francorum Re-

gem dicit, Questionem trium Capitulorum esse extrà fidem. Pelagius II. altera Epistola ad Episcopos Istrie vocat Questiones de tribus Capitulis superfluas: & S. Gregorius Ep. ad Constantium Mediolanensem loquens de tribus Capitulis, ait: *pro nulla re scissuram factam esse*: ergo. Pro solutione hujus, & seq. Instantie consulenda sunt, quia infra dicemus de Causa trium Capitulorum. His nunc suppositis. R. D. Maj. Tria Capitula erant facta dogmatica ex aliqua parte, C. ex omni parte, N. Utrum scripta Theodoretis, & Ibe continent hæresim Nestorianam, erat factum dogmaticum. Utrum verò Theodorus posset post mortem anathematizari in V. Concilio, & expeditè damnare Scripta Theodoretis, & Ibe, sub eorum nominibus, de quibus maxime fervebat disputatio, non erat factum dogmaticum, sed privatum, & personale. Igitur de tribus Capitulis ex hac parte consideratis loquuntur Pontifices in instantia. Insuper occasione trium Capitulorum motæ sunt variæ alie questiones, quas Pelagius II. petuit vocare superfluas. Item & quia de rebus ab Ecclesia definitis superfluum est disputare, cum tunc, non disputatio, sed obedientia requiratur.

Persistes: S. Gregorius Ep. ad Episcopos Hiberniæ loquens de V. Synodo, in qua tria Capitula fuerant condemnata, dicit: *Nihil de fide convulsus esse, vel aliquatenus immutatum; sed de quibusdam solummodo personis esse actum*: & Pelagius II. Ep. ad Episcopos Istrie loquens de his, quæ in eadem V. Synodo peracta fuerant, dicit: *Nihil nisi de personis agitur*; atqui constat, in ea quinta Synodo actum fuisse de sensu librorum Theodori, Theodoretis, & Ibe: ergo hujusmodi facta sunt purè personalia, & ad fidem non pertinent. R. verè dixisse S. Gregorium nihil de fide convulsus fuisse in V. Synodo, quia illæ mansit auctoritas Concilii Chalcedonensis, pro qua pugnant Occidentales. At non dixit, nec dicere potuit, nihil in ea de fide actum fuisse; siquidem decem prima Capita continent anathematismos contra varias hæreses. Dixerunt ergo SS. Pontifices, actum esse tantummodo in hoc Concilio de personis. 1. Quia nulla facta est nova definitio fidei, sed priores tantum fuerunt confirmatæ. 2. Quia questio præcipuè mota erat de personis Theodori, Theodoretis, & Ibe: utrum scilicet Theodorus in pace Ecclesie defunctus posset anathematizari, & Scripta Theodoretis, & Ibe, quos Orthodoxos agnoverat Concilium Chalcedonense, deberent damnari eorum nominibus appellatis: ita ut de sensu Scripturam, seu trium Capitulorum (quod erat factum dogmaticum ad fidem pertinens) vix disputaretur nisi respectivè ad personas: utrum, ut mòx dicebam, deberent damnari sub eorum nominibus; pauci enim admodum Occidentales defendebant sensum obvium Scripturam: ad hæc igitur respicientes SS. Pontifices, dixerunt illic actum fuisse de personis tantum. Itaque, juxta hæc 2. Responsionem factum Jansenii est credendum fide divina, & censendi sunt Hæretici, qui illud negant, non solum quia indè vincuntur negare infallibilitatem Ecclesie; sed etiam, quia istud factum est revelatum; sicut revelatum est, quinque famosas propositiones continere hæreses, Institutiones Calvinii esse hæreticas, & Canones Concilii Tridentini asserere dogmata fidei, textum Vulgatæ esse conformem suo Autographo, & continere verbum Dei, quis sit sensus Patrum conspirans ad fundandam Traditionem. Sicut, inquam, hæc sunt fide divina credenda, & Hæreticus foret, quæ ea negaret, ita qui factum Jansenii negat. Atque eo titulo Theodoretus fuit a Concilio Chalcedonensi declaratus Hæreticus; quia post plures expositiones volebat dicere sine explicatione anathema Nestorio. Cæterum, juxta utramque Responsionem, constat non sufficere silentium obsequiosum ergà factum Jansenii, sed assensu interiori fidei sive divinæ, sive Ecclesiasticæ esse credendum, atque formulæ Alexandri VII. absquæ exceptione, limitatione, aut explicatione esse subscribendum; ut declaravit Clemens XI. Bulla: *Vineam Domini Sabbath*, cosquæ esse perjuros, qui sine isto assensu interiori dicte formulæ simpliciter subscribunt.

Obj. 2. Ecclesia non potest judicare, quis sit sensus aliquis libri nisi dependentes a Regulis Grammaticæ; atqui Ecclesia non habet infallibilitatem grammaticalem: ergo. R. Omissa Maj. D. Min. Ecclesia non habet infallibilitatem grammaticalem simpliciter, & absolutè, C. Min. in quantum necesse est, ut non erret circa sensum Librorum Theologicè sumptum. N. Quia Deus providens de aliquo fine, providet de requisitis ad illum. Sic r. gr. quo Ecclesia errare non potest in acceptanda fidei Regula, Concilio Oecumenico, errare etiam non potest in agnoscendo pro baptizatis, Sacerdotibus, & Episcopis, eos

qui

qui illud componunt. Undè Ecclesia in casu dependet a Regulis Grammaticæ, sed de eis judicat ex speciali assistentia Spiritus S. Et parim propter hanc rationem potest negari Major; partim quia, quamvis aliqua propositio impingeret in Regulas Grammaticæ, puta hæc, *Mandata Dei sunt impossibilia*; posset nihilominus Ecclesia judicare, quis sit ejus sensus theologicè sumptus, an significet dogma conforme, vel contrarium fidei? Et ideo omisi Majorem.

Obj. 3. Sexta Synodus generalis erravit circa sensum Epistolæ Honorii, damnando illum ut Hæreticum; & ita docent Bellarminus, & Baronius: ergo. R. N. Ant. Non enim Honorius fuit condemnatus in ea Synodo ut Hæreticus sententia, sed ut fautor hæreses, de quo latissime vide Tract. de Incarnat. Digress. hist. ad Dissert. 18. sect. 4. Quantum ad Bellarminum, & Baronium: 1. Hoc divertere obiter, non discussa ex professo præsentis questione, quæ tunc non ventilabatur, præsertim cum ipsi doceant, Ecclesiam esse infallibilem in aliis factis non revelatis; ut in Canonizatione Sanctorum. 2. Errorem circa sensum Epistolæ Honorii non tribuit toti Concilio, sed Græcis tantum. 3. Non respexit factum Honorii ut dogmaticum, sed ut personale, & criminale. Agebatur enim in Concilio de persona Honorii, an declarandus esset Hæreticus ex sensu Epistolæ; non autem an iste sensus contineret dogma toti Ecclesie proponendum ut fugiendum, vel tenendum; non enim Monothelismus fuit damnatus in sensu Honorii. 4. Denique, quæcumque fuerit in hoc sententia eminentissimorum Scripturam, nihil nos cogit, ut contra invictissimas probationes nostras illis adharereamus; non enim fuerunt infallibiles: & sicut obijciunt, qui adeo illorum auctoritatem in hac parte extollunt, ab illis in multis aliis doctrinæ capitulis discedunt, fas quoquæ nobis erit ab hac eorum sententia, si erronea fuerit, discedere.

Obj. 4. Ecclesia in pluribus casibus retractavit suum judicium de factis dogmaticis, seu sensu librorum, & propositionum: ergo non est irrefragabile. Prob. Ant. 1. In Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatensem reprobatum Vocem *Omoion*, quam approbavit in Concilio Nicæno contra Arium. 2. Hæc vox *Christipara* ante Concilium Ephesinum erat Catholica, post Concilium fuit suspecta hæreses. 3. Hanc propositionem, *Una est in Christo natura incarnata*, approbavit Ecclesia in S. Cyrillo, damnavit in Eutychemis. 4. Hormisdas Papa hanc propositionem, *Unus de Trinitate Crucifixus est*, ut Eutychemianam rejiceret in Monachis Scythiis; eam probavit Joann. II. 3. Julius Papa, & Concilium Sardinense approbaverunt librum Marcelli Ancyranis (d' Angou) quem postea S. Basilii, Chrysostomus, & tota Ecclesia reprobarunt ut hæreticum. 6. Zozimus Papa agnovit Catholicum librum Cælestii, prius damnatum in Concilio Carthaginiensi, & quem ipse postea damnavit: ergo. De tribus Capitulis dicam specialiter §. seq. R. N. Ant. Ad 1. 2. & 3. D. Ecclesia unam, & eandem propositionem, materialiter sumptam, & secundum diversum sensum, damnat, & approbat, C. Eandem propositionem formalitè, & secundum eundem sensum, N. Itaque una, & eadem vox, seu propositio naturalis respectivè ad circumstantias, conditionem, & eventum suorum Auctorum potest habere diversos sensus etiam obvios, quorum unus sit orthodoxus, alter hæreticus. Undè absquæ retractione, & infallibilitatis labe approbat eam secundum sensum orthodoxum, reprobat secundum sensum hæreticum. Sic damnavit *Omoion* in sensu Sabelli, & Pauli Samosatensis, qui fingebant aliquam divisionem in natura divina, sicut in humanis Filius divinus a Patre dicitur ejusdem substantiæ cum illo. Approbavit contra Arianos, qui negabant esse ejusdem individui nature cum Patre, sed ipsi inferiorum. Vocem *Christipara* sensu Nestorii, qui negabat in Christo unionem hypostaticam, reprobat; at, exclusa omni suspitione hæresis Nestorianæ, sensu Catholico probatur. Approbavit in S. Cyrillo hanc propositionem, *Una est in Christo natura incarnata*; quia sola divinitas assumpti naturam humanam, quod intelligebat S. Cyrillus; reprobat in Eutychemis, qui inde volebant probare naturam confusionem. Ad 4. Hormisdas nunquam judicio publico damnavit ut hæreticum propositionem: *Unus de Trinitate crucifixus est*; sed eam rejecit, & cohibuit ut intempertivam, inuitem, inquietam; & multorum dissensionum causam, quippe quam Monachi Scythæ proprio judicio, & tanta pertinacia tuebantur, ut Nestorianismi reus accusarent quotquot huic propositioni subscribere remeabant. Cùm autem postea Joannes II. cognovit, eam Catholice sensu intelligi à Græcis, approbavit. Ad 5. N. librum Marcelli Ancyranis præcisè ut in

se erat, fuisse hæreticum, & ut talem ab universa Dei Ecclesia damnatum, ut late probat noster Natalis Alexander sæculo 4. Dissert. 29. Verum est quidem, aliquos Patres hunc librum damnasse, sed ipsos probum deceptos fuisse ob distantiam locorum, aut temporum, cuique opponit judicium Julii Pape, & Concilii Sardicenis. Insuper dici potest, quod liber Marcelli, dicitur a Concilio Sardicenis, & Julio Papa approbatus, nihil fidei contrarium contineret, quia articulos, de quibus arguebatur, non proponebat assertivè, sed disputativè tantum, & per modum questionis resolvendæ, ut restantur Patres Synodi Sardicenis: postea verò, quæ undè proposuerat, in aliis operibus assertit. Undè fraude detecta, merito prior liber fuit damnatus a pluribus Patribus, non præcisè ut in se continebatur, sed respectivè ad errores posteriores assertos; propositio enim, quæ secundum se est vera, ut prolata ab Hæretico potest esse falsa. Sic ista propositio: *Pater major est*, in ore Christi erat verissima; in ore Arij falsæ, & hæreticæ propter errores manifestos, quibus vincitur intendere sensum hæreticum. Ad 6. Zozimus nunquam judicio solemniter librum Cælestii ut Catholicum approbavit; sed, attentæ ejus facta protestatione adherentibus decretis Innocentii, & corrigendi quidquid sancta Sedes corrigendum judicaret, eum benignè excepit, & ejus fidem laudavit; non tamèn eum communioni restituit, nec ab hæreses nota absolvit, donec de causa statu ab Africanis certior fieret. Horum verò responsis acceptis, & fraude detecta, diem dixit Cælestio, ut coram Synodo se sisteret. Verum aufugit Cælestius, in quem & Pelagium sententiam condemnationis pronuntiavit Zozimus; quæ deponit errore perpetuæ poenitentis subijciantur. Confer dicenda Dissert. seq. a. 6. §. 2.

Obj. 5. Clemens IX. admisit ad pacem Ecclesie quatuor Episcopos, scilicet, Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Altemensem, qui in suis mandatis docuerant, sufficere pro facto Jansenii obsequiosum silentium; & tantum ab eis exegi, ut subscriberent, & subscribi curarent formulæ Alexandri VII. quod ipsi præstiterunt, sed inserta in secretis actibus verbalibus distinctione juris, & facti, & declarantes assensum mentis dogmati deberi, facto verò solam reverentiam silentii: ergo. R. Clementem IX. hos Episcopos non admisit ad pacem; nisi quia cum fundamento existimavit, & suppositis, eos formulæ Alexandri VII. subscripsisse simpliciter sine ulla exceptione, aut limitatione, ut ipsimet Episcopi illi significaverant. Id constat 1. ex Brevis dato ad eosdem Episcopos, in quo sic loquitur Pontifex: *Cum ingenti obsequio nobis, & hinc S. Sedis Apostolicæ sententia significatis vos juxta præscriptum Litterarum Apostolicarum sincerè subscripsisse, & fecisse. Nam prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissimè interdictum, nullum circa illud explicationem, aut restrictionem admitti unquam fuisse. 2. Ex Brevis ejusdem Clementis IX. ad Regem Gallie, dato 29. Septembris 1663. Cum lætitia, inquit Pontifex, cognovimus in simplici, ac pura subscriptione Formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam. Quod autem acta verbalia non innoverint Pontifici, non mirum; erant enim secreta.*

Inst. 1. Episcopus Catalaunensis in Declaratione, quam anno 1668. misit ad Clementem IX. ipsi aperit, quis fuerit sensus horum 4. Episcoporum in suis actibus verbalibus, scilicet: *Quod ad Pontificiam de facto sententiam pertinet videri eam Episcopis cum reverentia excipientiam, sed intrà eos fines, quos in ejusmodi causis Cardinalis Baronius, Bellarminus, Rehellus, Pallavicinus, & Patres Sirmondus, & Petavius determinant, nimirum ne quid promittitur, scribatur, doceatur, ut ipsi curarunt. De Formula verò, eos profiteri sinceritate, & fide, quæ esse maxima posset, et subscripsisse, & quinque propositiones tum damnasse, tum damnandas curasse, sine ulla exceptione, aut limitatione, in quolibet sensu, in quo ab Ecclesia damnate fuissent. Ita refert Cardinalis Rospiogliosius. c. 162. sue Relationis: ergo non latuit Pontificem, hos quatuor Episcopos persistisse in sua sententia de silentio obsequioso pro facto Jansenii. R. Summum Pontificem verissimè intellexisse de facto Jansenii personali, utrum sensus propositionum esset sensus internus Jansenii; quia, cùm declaratio dicit, eos formularii subscripsisse, Et quinque propositiones tum damnasse, tum damnandas curasse sine ulla exceptione, aut limitatione, in quolibet sensu in quo ab Ecclesia damnate fuissent; Ecclesia autem eas damnaverit in sensu a Jansenio intento: non potuit Pontifex credere, eos ad obsequiosum silentium restringere reverentiam debitam facto dogmatico Jansenii, nisi supponendo eos pugnantia loqui. Undè observat Cardinalis Rospiogliosius c. 162. sue*

Re-

Relationis, hanc declarationem dissimulare sententiam 4. Episcoporum.

Inst. 2. Innocentius XII. Brevi, dato ad Episcopos Belgii 6. Februarii 1694. dicit sufficere, si damnantur 3. propositiones in sensu obvio, quem verba prae se ferunt, nulla facta mentione sensus Jansenii: ergo. R. D. Ant. Nulla facta mentione sensus Jansenii, Transeat: implicita, N. Dicit enim, *Se firmissime inherere Constitutionibus suorum Praedecessorum Innocentii X. & Alexandri VII. easque in suo robore semper permansisse... eos, qui ad juramentum adigendi sunt, illud praestare debere sincere absque ulla distinctione, restrictione, seu expostione, damnamo eas propositiones in sensu obvio, quem ipsae propositionum verba prae se ferunt, prout sensum illum damnaverunt summi Pontifices.* Summi Pontifices autem Innocentius X. & Alexander VII. eas damnarunt in sensu a Jansenio, seu Auctore intento.

Obj. 6. plura simul brevitatis causa. 1. Ecclesia secundum D. Th. & omnes Theologos est fallibilis in questionibus facti. 2. Si admittatur, quod sit infallibilis circa quaedam facta, quae referantur, ideo est, quia erant evidenter, factum autem Jansenii est obscurum. 3. Licet Ecclesia sit infallibilis in rebus brevioribus, non tamen in longioribus. 4. Non est credibile Ecclesiam legisse totum Librum Jansenii, utpote valde fsum. 5. Ecclesia, seu Papa nihil definit circa factum Jansenii, nisi ex consilio Cardinalium, & Theologorum, qui aut ex ignorantia, aut ex passione contra Jansenium poterunt errare. 6. Non solet Ecclesia damnare propositiones damnare textum, ex quo sunt excerptae; nec id requiritur ad conservandum depositum fidei, modo haeresis, & falsa dogmata ab omnibus damnentur. 7. Textus Jansenii non continet nisi puram Augustini Doctrinam, quam Ecclesia approbavit. 8. Omnes Ecclesiae per orbem dispersae, excepta Gallicana, non acceptarunt Constitutiones Pontificias quod factum Jansenii, sed quoad jus tantum; non enim librum Jansenii expenderunt. 9. Ecclesia nullo decreto suam in factis dogmaticis infallibilitatem definit: ergo saltem non est de fide. Verum haec levia sunt, & facile ex dictis diluuntur.

Unde R. ad 1. Ecclesiam esse fallibilem in questionibus facti particularis, & merè personalis, quod pendet ex testimoniis fallibilibus hominum; non vero in questionibus facti doctrinalis, quod ex sola libri inspectione pendet, concurrere assistentia Spiritus Sancti.

Ad 2. 1. Infallibilitas Ecclesiae in factis dogmaticis non petitur ex eorum evidenter, alias Ecclesia potiori privilegio non gauderet, quam stupidissimus hominum; sed, ut mox dicebam, ex assistentia Spiritus S. ipsi a Christo promissa in his, quae spectant communem fidelium salutem. Si tibi, & mihi sit obscurum factum Jansenii, Ecclesiae illud damnanti est evidens. 2. Textus Aug. est obscurior textu Jansenii, & tamen primum, juxta adversarios, Ecclesia irremovabiliter approbavit. 3. Factum Nestorii erat obscurum Theodoro, ut ipse scribit Andreæ Somaseno, & tamen Concil. Chalced. ipsum coegit dicere anathema Nestorio.

Ad 3. Facilius est e contra ferre iudicium de textu longiori, quam de breviori, ut patet ex ultima probatione.

Ad 4. Impostura est, & insolens calumnia dicere, Ecclesiam in re tanti momenti ceco, & praecipiti modo processisse, praesertim cum Alex. VII. qui omnibus confertis adfuerat, testetur, causam Jansenii tanta diligentia, & accurate examine fuisse, ut major desiderari non possit. Insuper textus Aug. fuit ex textu Jansenii, & tamen iuxta obiectantes, Ecclesia sufficienter legit textum Aug. ut ipsum approbare; quidam sufficienter legit textum Jansenii, ut ipsum damnaret.

Ad 5. Quamvis Pontifex solet requirere sensum Cardinalium, & Theologorum, non tamen inde praesice, sed ex assistentia Spiritus S. suam mutuat infallibilitatem.

Ad 6. Solet etiam Ecclesia damnare textum, & libros Auctorum, unde excerptae sunt falsae propositiones, quando id necessarium iudicat in efficaciorum haereses eradicationem sic egit contra Eutychem, Nestorium, Pelagium, & plures alios: idque erat necessarium in casu Jansenii, quia plures damnando propositiones defendebant librum ut orthodoxum, sicut patet, ac ante grassabant haeresis, & eludebant iudicium Ecclesiae.

Ad 7. Falsissimum est, textum Jansenii nihil aliud continere, quam S. Aug. Doctrinam, nec ulla hujus S. Doctoris propositio allegari potest, quae naturalis, & obvio sensu, attentis Antecedentibus, & consequentibus, non sit contradictoria, aut dissona sensui quinque famosarum propositionum. Insuper fateor, S. Aug. scripta esse ab Ecclesia ap-

probata, sed non omnia eodem modo. Quaedam approbatione speciali, ut sunt ea, quae spectant gratiam, & praedestinationem contra Pelagianos, & Semi-Pelag. Quaedam approbatione generali, sicut approbata sunt opera SS. Hilarii, Athanasii, Ambrosii, &c. quae approbatio generalis indicat tantum, hos SS. Doctores strenue Ecclesiam, & Religionem defensasse, ardentissimo zelo ejus puritatem prosecutos fuisse, & nullam in eis suspicionem esse de haeresi voluntaria; sed non impedit, quin in decursu temporis Ecclesia possit in eorum operibus aliquem errorem Auctori involuntarium deprehendere.

Ad 8. N. Omnes enim Ecclesiae per orbem dispersae acceptarunt Constitutiones Summi Pontificum contra Jansenium absque ulla limitatione, aut exceptione: ergo quoad jus, & quoad factum. Neque est necesse, quod omnes expenderint librum Jansenii; sed sufficit, quod Ecclesia Romana majori quae potuit diligentia, illum expenderit, & ejus iudicio acquieverint aliae Ecclesiae.

Ad 9. Quidam respondent, infallibilitatem Ecclesiae circa facta dogmatica esse quidem de fide quoad se, sed non esse de fide obligante; quia ut fert instaurata, Ecclesia id non definit. Verum alii censent, esse de fide etiam obligante; quia, licet Ecclesia expressis verbis eam non definit, facto tamen, seu usu constanti, & praxi definit, anathematizando, & declarando haereticos, qui sub decretis circa facta dogmatica resistunt: quae agendi ratio constans, & perpetua debet censeri sufficientis sine infallibilitatis definitio: tum quia iniquum foret declarare haereticos, & anathematizare eos, qui decreto fallibili assensum recusant: tum quia alias infallibilitas Ecclesiae in questionibus fidei non foret de fide obligante, cum non conceptis verbis, sed solo usu constanti, & praxi, sit praxi definita.

#### §. IV. Solvantur Objectiones, petita ex causa trium Capitulum.

Obj. 1. Concilium Chalcedonense approbavit tria Capitula Concilium V. Constantinopolitanum secundum ea damnavit; atqui tria Capitula sunt facta dogmatica: ergo. Pro hujus, & sequentium argumentorum solutione praefero compendiose historiam trium capitulum, de quibus tot fuerunt motus, & contentiones in Ecclesia inter Orientales, & Occidentales.

#### Synopsis historica trium Capitulum.

**T**ria famosa Capitula sunt scripta, & persona trium Episcoporum, scilicet, Theodori Mopsuesteni, Theodori Cyrensis, & Ibae Edesseni.

II. Cum in Concilio Chalcedonense, in quo fuit damnatus Eutycheus, Theodoretus, & Ibas (erat enim tunc defunctus Theodorus) post anathema dictum Nestorio admissi fuissent ad Communionem, non damnatis a Concilio scriptis Theodoretis, quae erant Nestoriana, nec reprobata, licet lecta, Epistola Ibae ad Marim Persam, quae erat reprobata laudibus Theodori, a quo Nestorius haeresim suam hauserat; Nestoriani haec tria scripta, scilicet, Theodori, Theodoretis, & Ibae vulgaverunt, contendentque, fuisse in Concilio Chalcedonense approbata.

III. Eutycheiani e contra, praesertim Acephali, ut auctoritatem Concilii Chalcedonensis, quod damnaverat Eutychem, deprimerent, contendebant, haec tria Capitula esse Nestoriana, & ope Theodori Caesariensis obtinuerunt a Justiniano Imperatore, ut illa publico edicto proscriberet; quod ille fecit motus zelo pacis, summeque edictum ad totius Imperii Episcopos, cui subscriberent, transmissit: & hinc origo gravis dissidii, quod Vigilium Papam, & Orientales cum Occidentalibus commisit.

IV. Edicto Justiniani subscriperunt plures ex Orientalibus, subscribere recusarunt Occidentales, praesertim Africani, ne laderetur auctoritas infallibilis Concilii Chalcedonensis, in quo, errore facti, existimabant haec tria Capitula fuisse approbata. Interim Vigilii Papa Constantinopolim advenit, & eos, qui edicto Justiniani subscriperant, a sua communiione suspendit; quam tamen illis post aliquot menses agente Theodora Imperatrice restituit.

V. Justinianus Imperator obtinet a Vigilio, ut cum Episcopis causam trium Capitulum discutiat: hinc conveniunt in urbem Regiam plusquam 70. Episcopi. Sed cum hi maxime inter se dissiderent, dixit Vigilius, se seorsum suam sententiam diciturum: visis ergo singulorum votis ad se delatis, ann. 548. Decretum tulit, quod Iudicium appellavit, quo tria capitula proscriberet, non absolu-

tè, sed sub hac restrictione, *Salva in omnibus Concilii Chalcedonensis auctoritate.*

VI. Hoc iudicium egre tulerunt Occidentales praesertim Africani, & Illyrici, causamque trium Capitulum palam defendere coeperunt. Qua de causa Vigilius cum Imperatore de Concilio generali congregando egit; quod Romae congregari optasset Pontifex, sed tamen quod, instante Justiniano, Constantinopoli ex Occidentalibus, & Orientalibus aequo numero congregandum indixit, prohibita interim omni disputatione circa tria Capitula.

VII. Cum autem tardarent Occidentales, nec tamen sine illis Vigilius sineret Concilium celebrari, Justinianus mox impatiens, eodem Theodoro Caesariensi suadente, novum edictum tulit adversus tria Capitula, quod in Ecclesia Constantinopolitana, & alibi appendi jussit: quod indignè ferens Vigilius, convocatis qui in urbe erant Episcopis, prohibuit sub poena privationis Communionis Ecclesiasticae: huic edicto morem gerere; qua de causa male ab Imperatore habitus, fugit Chalcedonem, donec Imperator placatus revocato edicto, causam hanc ad Concilium futurum remisit.

VIII. Congregatum est autem Concilium ann. 553. Patrum 165. cui adesse recusavit Vigilius, licet iterato honorifice invitatus, eod quod pauciores adessent Occidentales. Praefuit illi, absente Vigilio, Eutycheus Constantinopolitanus. Interca Vigilius novo opere edito, quod vocavit *Constitutum*, iterum trium Capitulum defensionem suscepit, non quidem quoad dogmata, sed quoad personas, contendens scripta non debere damnari sub nominibus Auctorum. Hoc non obstante, Concilium anathemate confixit tria Capitula, appellatis Auctorum nominibus. Hanc censuram simul, & Concilium post sex menses circiter approbavit, & confirmavit Vigilius Ep. data ad Eutychem Concilii Praesidem, & praesentem Synodum. Hanc Epist. primus publici juris fecit Illustriss. de Marex ex Regia Biblioth. cujus authenticament probat Natalis Alexander saeculo 6. c. 2. a. 9. & Dissert. 3. eodem saeculo, pluribus aliis testimoniis probat, Vigilium hoc Concil. confirmasse. Illud pariter confirmarunt ejus Successores, Pelagius I. Pelagius II. & S. Gregorius, qui multum allaboraverunt, ut extinguerent schisma Venetorum, & Istriae Episcoporum, occasione hujus Concilii ortum, quod putarent, ut jam dixi, haec Capitula fuisse in Concilio Chalced. probata. His praemis ad argumentum.

R. 1. N. Ant. Pro 1. parte. Tria namque Capitula neque approbata, neque reprobata fuere in Synodo Chalced. sed omnia, & neglecta, seu proposita, non judicialia, sed ut historica tantum. In primis de Teodoro Mopsuesteno, quod obierat, & de ejus scriptis nulla mentio facta est, nisi quod in Epistola Ibae, quae fuit recitata, & non probata, ut mox dicam, quaedam ejus laudes continerentur. De scriptis Theodoretis, & Epistola Ibae nullum Synodus tulit iudicium, sed eorum personas duxerat admissis ad consensus, postquam praesentiae signa dederunt, & anathema dixerunt Nestorio, atque S. Leonis Epistolae subscriperunt. Synodus V. autem damnavit scripta, & personam Theodori Mopsuesteni, qui fuerat Auctor Nestorianismi, & in quo enim obise constabat ex testimonio suae Ecclesiae, quae nomen ejus e sacris Dypticis expunxerat. Scripta vero Theodoretis, & Ibae sunt eorum nominibus damnata; at eorum personas in pace Ecclesiae defunctas, anathemate non confixit; & sic nulla est inter utramque Synodum contradictio.

Inst. 1. Relecta Epistola Ibae, Legati Sedis Apostolicae dixerunt Ibam Orthodoxum, ut haberet in actis: ergo. R. Legatos Sedis Apostolicae dixisse quidem Ibam Orthodoxum, sed non ejus Epistolam Orthodoxam; quae duo multum differunt. Unde D. Ant. Dixerunt Ibam Orthodoxum attento dogmate Epistolae, N. Attenta retractatione Epistolae, C. Cum enim obijcerent illi quidam Monachi, S. Cyrillum ab eo vocatum fuisse haereticum, respondit: *Donec S. Cyrillus semetipsum interpretatus fuerat, quia Orientale Concilium cum vocabat haereticum, & ut haereticum eum condemnavit, haereticum eum & ego putabam: postquam vero adunatae sunt Ecclesiae, & sua Capitula interpretatus est, omnes eum communicatorem habuimus.* Quibus aperte declarat se revocare, quae dixerat in sua Epistola contra S. Cyrillum; & cum aliunde Epistolae S. Leonis ad Flavianum subscripsisset, & anathema dixisset Nestorio, ideo declaratus est Orthodoxus. Hanc porro Epistolam Concilium Chalcedonense non potuisse sine aperta contradictione approbare, ostendit Pelagius II. Epistola ad Episcopos Istriae, dicens: *In gestis namque ejusdem Synodi, & scriptis Leonis Cyrillus praedicatur: in Epistola vero Ibae Theol. Billuarii. Secunda secunda.*

Cyrillus in Apollinariano dogma corruens reprobat. In gestis Nestorius ut Redemptoris nostri adversarius iure damnatus ostenditur; verbis vero Epistolae damnatis iniuste memoratur... In gestis, ac definitionibus fidei, unus filius Jesus Christus dicitur; at juxta doctrinam Theodori, atque Nestorii, Deus tacetur. Et in gestis Synodi nusquam Theodorus veritatis Doctor dicitur; in verbis vero Epistolae idem, cujus blasphemias supra prorsulimus, veritatis Doctor clamatur; qui si vera dixit, falsa erunt, quae de veritate Synodus protulit: quisquis igitur qui Epistolam, quae Ibae dicitur, ostendere quod sit de Synodo nescit, quid aliud, quam gesta ejusdem Synodi destruere conatur: Unde Concilium V. Quomodo, inquit, praesumunt aliqui ipsam impiam Epistolam susceptam fuisse a S. Concilio Chalcedonensi? Et Vigilius in confirmatione V. Synodi: Absit, ut tam horrendas blasphemias Patres Chalcedonenses approbarent.

Inst. 2. Maximus Antiochenus in Concilio Chalced. ipsam Ibae Epistolam agnovit Orthodoxam, his verbis, *Orthodoxa est ejus declarata dictatio: & Ferrandus Diaconus Carthaginensis, Epistola ad Pelagium, & Anatorum Ecclesiae Romanae Diaconos, asserit Epistolam Ibae non potuisse damnari a V. Synodo, absque Synodi Chalced. injuria: ergo. R. ad 1. in Concilio non unus, aut alterius interlocutionem attendi, sed quod ab omnibus, aut majori parte definitur, ut observatum est in V. Synodo: Act. 6. ad Ferrandum, non mirum, quod ita fuerit locutus, fuit enim trium Capitulum acerimus defensor: & insuper scripsit ante quintam Synodum, cujus auctoritas Doctoris privati auctoritati praeponderat. R. 2. ad principalem argumentum. Dato, tria Capitula fuisse probata in Concilio Chalced. potuerunt nihilominus ad examen revocari, & damnari a V. Synodo, absque lesione infallibilitatis Ecclesiae in his factis: quia conscripta definitione fidei Act. 6. absolutum fuit Concilium Chalced. Quae vero postea circa praefatas quorundam Episcoporum causas acta sunt, non habent vim Concilii, nec a S. Leone sunt probata. Id autem probatur. 1. Quia Episcopi post actionem 6. perierunt ab Imperatore licentiam redeundi ad suas Ecclesias: *Supplicamus, inquit, dimitte nos, pie Imperator, quos tamen retinuit Justinianus pro dirimendis libris privatis quorundam Episcoporum, inter quos causa Theodori acta est Act. 8. Causa Ibae Act. 9. & 10. 2. Quia S. Leo Epistola ad Maximum Antiochenum de Synodo Chalced. dicit, quod, si a Legatis suis aliquid gestum sit praeter id, quod pertinet ad causam fidei, id est, ad Eutycheianam haereses damnationem, nullus sit ponderis. Vide textum Inst. 2. Obj. 1. §. praeced. 3. Quia Pelagius II. Epistola ad Episcopos Istriae testatur, plerisque codices graecos vetustiores sex tantum Actiones Synodi Chalced. referre. 4. Quia S. Greg. I. 2. Ep. 10. dicit: *De tribus personis, de quibus post terminum Synodi Chalcedonensis (attende post terminum, id est, post Actionem 6.) actum fuerat temporibus Justiniani, id est, in V. Synodo, ventilatum est. Et l. 3. Ep. 37. dicit: in V. Synodo actum est de his personis, de quibus in Chalced. Concilio nihil continetur;* quia nempe Actione 6. absolutum erat Concilium.**

Obj. 2. Plures Occidentales, praesertim Hispani, diu recusarunt acceptare Concilium V. licet tamen communiione conjuncti essent cum Ecclesia Romana, & aliis Ecclesiis, istud Concilium acceptantibus: ergo ejus iudicium contra tria Capitula non habetur infallibile. R. N. Conseq. Consensus enim, & iudicium totius Orientis, & reliquarum Ecclesiarum Occidentis praeter paucas, praesertim Ecclesiae Romanae, praevalet alicujus Provinciae dissensui, ut dicit Vincentius Lirin. 1. p. commonit. c. 4. Hunc autem dissensum Hispaniarum non probarunt summi Pontifices, sed ex oeconomia tolerarunt ad tempus. Cum enim Hispani recusarent acceptare quintum Concilium ex errore facti tantum, quia putabant esse contrarium Synodo Chalced. & illud palam non impugnarent, sed modeste praetermitterent, neque Nestorianismo faverent, neque a communiione Ecclesiae Romanae, & aliorum Ecclesiarum se separarent, sed e contra, & reverentia erga S. Sedem, & charitate erga alios Episcopos, se ad pacem comparatos ostenderent, spes erat, ut, errore facti deposito, ad sententiam totius Ecclesiae accederent, quod progressu temporis effectum est. His ergo de causis prudenter egit Ecclesia dissimulando ad tempus eorum resistantiam, ne in apertum schisma erumperent; praesertim cum istae causae, ut jam observavi, non sint tanti momenti in Ecclesia, quam ubi agitur de capitibus fidei.

Inst. Ipse S. Gregorius videtur non agnovisse auctoritatem infallibilem V. Concilii in causa trium Capitulum: ergo. Prob. Ant. SS. Pontifex in Epistola ad Theodolindam Longobardorum Reginam quatuor tantum Synodos